



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Iosephi Speranzæ, Congregationis Oratorii Fanensis  
Presbyteri, Scripturæ Selectæ**

**Speranza, Giuseppe**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

Fiducia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44265**

nemo se decipiat: malos non amat Deus, peccatores non amat, injustos, rapaces, crudeles, & impios non amat. Quoniam non volens Deus iniquitatem tu es. Et odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Hactenus ille, qui tamen, ut ceteri Patres, sic intelligendus est, ut peccatori nec tunc gratiam sufficientem denegat.

Tantâ igitur, Fratres mei, misericordiâ non abutamur, nec pedem alterum amplectentes, misericordiâ scilicet; alterius, hoc est, justitiâ obliviscamur, sed ut monet Bernard. ambabus ulnis amoris, ac timoris complectamur utrunque: nam etsi Oculi Domini super justos: Vultus etiam, vel cum Pagnin. ira Domini super facientes mala. Et licet nunc sedens sedeat similis aspectui viridis jaspidis misericordiâ in throno, tamen idem jam similis est sardini ardenti suâ justitiâ.

Psal. 5.

D. Bernard.

Psal. 33. Pagnin.

Apoc. 4.

gium, adjutorium, & auxilium in tribulationibus invenit quod est validum.

Tot, tantaque? quid? num id experientia, asque didicisti, sancte David? Quoties! Eram quondam quadam in speluncâ latitans, hostium que circumseptus cuneis, ij ipsi, qui mecum aderant, de hac in Deum fiduciâ me perterritabant, dicentes: En circumdatus nobiscum ab exercitu, quomodo effugies, nisi avoles quasi passer? In Domino confido, inquit David. Et ecce celerrimus nunciis ad Saul, qui mox, quadam belli occasione aliunde extortâ, abire cogitur. Tunc David ad suos: Quomodo dicitis anima mea: Transnigra in montem sicut passer? In Domino confido.

Nec iterum hac spe frustratus: Misit, inquit, de caelo, & liberavit me, &c. Ad Deum, qui benefecit mihi. Chald. Qui precepit aranea, ut perferret telam in ore spelunca ad defensionem meam.

Hanc suam Deus protectionem promittit in Isa. Dominum exercituum, ipsum sanctificato, & erit vobis in sanctificationem. Alii ex Heb. Et ipse erit vobis in palatium, & asylum. Quæ major securitas, quam palatium, quam Curia Regis caeli, & terræ?

Fugiebat quondam Jacob à facie fratris sui Esau. Itinere fatigatus quodam confedit in loco, ubi dehescere nequaquam potuisset, si Esau supervenisset. Quid egit tunc Deus? Ut ostenderet, quanta eum ejusdem cura maneret, ipsi Cælum aperuit: Viditque scalam, & cacumen illius tangens cælum. Quasi diceret: En palatium, & asylum, ô Jacob. Sed, ô Domine, quis ascendere potest? En scala, en Angeli, en egomet, qui manum porrigam, ut te recipiam, teque apertis complectar brachiis. Erat innixus scala, inquit Hieron. ut lassus manum porrigeret, ut ascendentes suo ad laborem provocaret affectu. Quasi diceret: Quid? Domo discessisti? En Cælum. A proprio fratre fugatus, fratrem reliquisti? En Angeli. Exterus es absque patre, & matre? En ego. Times? Scande, ut vel in meo sinu te abscondam. Ego ero custos tuus, quocumque porrexeris. Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.

D

E

De fiducia Dei in tribulationibus.

PUNCTUM XXVIII.

Fiduciam hanc in adversis suavit Deus Abraham. Ego, inquit, protector tuus sum. Hebr. Ego scutum tuum. q. d. Confide, quia ego protectio tua sum, ego scutum tuum sum. Memini hoc loco emblematis illius militis, qui cum fuerit scuto optimè protectus in terrâ, eodem, carens naviculâ, flumen traiciens, inquit: Cum premeretq; solo, cum premeretq; salo ob id in eo totam quasi suam locarat fiduciam, Miles erat. O quàm melius, si quod de materiali dixit, hoc divini adaptasset protectionis scuto! Ego scutum tuum, quo terra, marique tutus discrimina vitales omnia. Cum premeretq; solo, cum premeretq; salo, hoc scutum meum, spes mea, fiducia mea in terrâ, & in mari.

Gen. 15. Hebr. Alciat. in Hebr.

Psal. 45. Hebr. Davidis fiducia in Deum.

Ut id dignoscere David! Deus noster refugium, & virtus, adjutor in tribulationibus, qua invenerunt nos nimis. Hebr. Deus nobis spes, protectio, asylum, hospitium, refu-

Psal. 10.

Psal. 56.

Isa. 1. Hebr.

Deus super palatium, & asylum.

Gen. 28.

Deus promissus protector suorum.

Hieron. ep. ad Iulianum.



*Psal. 90.  
D. Hieron.  
ex Hebr.*

*vabitur. D. Hier. ex Heb. Qui habitat in A abscondito, vel sedens in latibulo Excelsi, in umbra omnipotentis pernoctabit. O bonum noctis hospitium! Hic Jacob securus dormit, nec sentit noctis injurias: In umbra omnipotentis pernoctabit. Chald. Qui collocat mansionem suam in secreto Altissimi, in umbra nubium gloria Dei commorabitur.*

*Chald.*

*Num. 16.*

*In umbra nubium gloria Dei. Meminerintur ejus, quod de Moysse, & Aaron in Num. dicitur: Hi cum seditionum tumultum fugerent, cucurrerunt ad tabernaculum, quod postquam ingressi sunt, Operuit nubes, & apparuit gloria Domini. Quasi diceret Deus: Descendam cum omni gloria mea, ut meos protegam, eosq; in nubibus gloriae meae abscondam.*

*Fiduciam erga se nosstram quam amet Deus.*

*Quantum itaque confidere debent in suis tribulationibus, qui sub tali, tantaq; Dei protectione morantur? O quam placeat Deo hac fiducia! Aded placeat, ut ided multoties permittat, ac immittat tribulationes, ut edificetur fiducia. Erat Dominus in mari cum Discipulis suis. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat. Domine, plene merguntur, Discipuli & dormio? Sic, dormio, ut discant confidere. Vultis id aperire videre? Excitatus Dominus: Quid, inquit, timidi estis, modicae fidei? Sic penes mergitur Petrus, & increpatur: Modicae fidei, quare dubitasti? Mergor, & modicam fidem habeo: Immo, quin ided mergeris, quia modicam fidem habes. Vult intelligamus, ipsum ided permittere nobis tentationes, ac tribulationes gravissimas, quae videantur inducere in desperationem, ut non desperemus; sed confidamus, licet aquae tribulationum penes spiritum praeccluderent.*

*Matth. 8.*

*Matth. 14.*

*Matth. 14.*

*Bis legitur D. Petrus super aquas ambulasse, semet vestimentis exutus, & semel amictus. Quando creditis eum mergi cepisse? Quando nudus incessit. Mirum! Mergi debuisse videtur, cum vestitus ambulavit, & tamen nudus penes submersus est: quia nimirum quod minus secutos nos reddimus, ed securiores cum Deo sumus, & quod magis nos securos facimus, minus securi sumus. Amat sci-*

*Ion. 2.*

*licet confidentiam, quam ed magis de Deo habemus, quod magis de nobis diffidimus.*

*Meminerint ejus, quod dixit Angelus ad Gedeonem: Dominus tecum, virorum fortissime. Erat tunc Gedeon animo consternatus ob ingentes inimicorum copias, sublevar tamen aliquantulum oculos, & animum: O Angele Dei, inquit, qui id fieri potest?*

*Si Dominus nobiscum est, cur ergo apprehenderunt nos haec omnia? Cur undique circumdant nos inimici nostri? Ideo, potuisset dicere Angelus, ut fiduciam perdiscatis. Vultis videre? De exercitu Gedeonis dicit Angelus: Minue, minue. Adhuc populus multus est. Et dimisit viginti duo milia. Adhuc multus est, & dimisit penes exercitum, & cum paucissimis remansit. Domine, sic animum addis ei, qui animo cecidit? Ita volo, ut de se diffidat, & in me confidat, qui tam in multis, quam in paucis salvare possam. Vnde cum cepisset Gedeon de se diffidere, & in Deo confidere, En, inquit, familia mea minima est in Manasse. Et ego minimus in domo patris mei, in quo liberabo Israel? Dixit Angelus: Vade, in hac fortitudine tua liberabis Israel de manu Madian. In quam fortitudine, o Angele? In hac, quae te fecit de propriis viribus omnino diffidere, & in Dei viribus omnino confidere.*

*O quam vult Deus, ut semper a suo pendeamus auxilio! Observat Orig. justu Dei candelabrum illud cum septem lucernis (figura justorum) positum contra Aquilonem; lucernas, quae semper ardere debebant, contra Boream collocatas, quasi voluerit dicere Deus, hoc ordine volo ea disposita, ut totam ardendi vim a me habere confidant, & extingui non timeant. Quo mystice significatur, justos in facie Aquilonis positos, hoc est, in magnas tribulationes coniectos, fidei lumen, & charitatis ardorem nunquam amittere, quin vento tribulationum afflatos magis, magisque ardere, ac per divinam antiperistatim inflammari.*

*Ided Deus conicere solet hominem in magna discrimina, ut discat in solam divinam majestatem confidere. Mirum!*

*Quod magis de Deo habemus, quod magis de nobis diffidimus.*

*Quod magis de Deo habemus, quod magis de nobis diffidimus.*

*Quod magis de Deo habemus, quod magis de nobis diffidimus.*

*Quod magis de Deo habemus, quod magis de nobis diffidimus.*

*Judic. 6.*

*Judic. 7.*

*Exod. 27.  
Orig. hom. 9.  
in Exod.*

Q 3 Prima





Exod. 14.

Primâ die, quâ populus exiit ex Ægypto, A  
juxta mare, in conspectu Pharaonis ca-  
strametari, ac figere tentoria jubetur.  
Domine, hostis à tergo est, & autè est  
mare, quid hic populus agat? In me con-  
fidat. Res certè mirabilis. Præcipit  
Moyfi, ut populum regredi faciat, & in  
has iniciat angustias: *Reversi, inquit, ca-  
strametentur à regione Phihahiroth, qua est  
inter Magdalum, & mare.* Alia jam via  
perrexerant, ac jam ultrâ processerant: B  
Et tamen, *Reversi, inquit, castrametentur,  
&c.* ut scilicet eos in illas coniceret an-  
gustias, unde ediscerent sed confidentiâ,  
per quam mare non unâ, sed centum vias  
præbuit: *Qui divisit mare rubrum in divi-  
siones.* O quoties nec viam unam vide-  
bis! sed si habueris fiduciam, centum tibi  
viae latae aperientur, &c.

Psal. 26.

Heroica Davidis confidentia: *Si con-  
sistant adversum me castra, non timebit cor  
meum, si exurgat adversum me prælum, in  
hoc ego sperabo.* In quonam Rex sancte?  
In hoc. Ex Græco, & Heb. constat illud  
hoc referri ad prælum: *In hoc ego sperabo;*  
hoc est, hinc majorem sumam occasione  
fiduciam, quò majora, gravioraque erunt  
discrimina: Deus me liberabit, quò mi-  
nus nulla me ratione liberare possum,  
inveniet ipse rationes, modos, & vias,  
ego confidentiam nunquam amittam, D  
etsi nullum remedium pro me humani-  
tus appareat, divinitus spero inimicorum  
rela in ipsorum ora fore detorquenda Sic  
Hieronymus.

D. Hier. ibid.  
Iob. 13.

Plusquam heroica confidentia Iob:  
*Etiamsi occiderit me, in ipsum sperabo.* Hanc  
illi confidentiam volebat Satan subripere,  
sperans, quòd torcladibus, rerumque  
omnium jacturis, quod reliquum haberet,  
animam scilicet, desperatus jactaret. E  
Quanam mala non perpetrat desperatus?  
O quam miserè jactatur nauta de-  
speratus! Hoc intendit Diabolus, ut  
omni amissa fiducia desperatè in omnia  
flagitia ruamus. *Impius, cum in despera-  
tionis profundum venerit, contemnit, & se-  
quitur eum ignominia.* O quam verè! Nul-  
lum enim scelus non committit.

Chrysol. hom.  
40 in Matt.

Infirmus de salute dissusus, inquit  
Chrysol. omnia communia, & immunda

manducat, qui antè temperans erat: Sic  
qui gravius peccando cepit desperare,  
jam nihil dubitat committere.

*Quòd vana est omnis fiducia, qua  
non collocatur in Deo, sed vel in  
hominibus, vel in divitiis, vel  
in Principibus, &c.*

## PVNCTVM XXIX.

Misera illa Hæmorrhøissa duodecim  
annis fuit in sanguinis profluvio, &  
à Medicis, ut refert D. Marcus, Multa  
perpessa, erogaverat omnia sua nec quicquam  
profecerat, sed magis deterius habebat. Quid  
istud fuit? Vana in Medicos fiducia. Quid  
pauperi fœminæ reliquum? Ad celestem  
Medicum recurrere, à terrenis jam de-  
plorata.

*Fiducia in  
Deum sola bo-  
na, vana con-  
fidentia alia.  
Math. 9.  
Marc. 5.*

O quam hæc docet nos in infirmitati-  
bus, afflictionibus, &c. ad Deum confu-  
gere, & in Deo confidere! Quam vani,  
qui ad Deos confugiunt! O quam his di-  
ci potest: Vbi sunt Dii, in quibus habetis  
fiduciam? *Surgant, & opulentur vobis, &  
in necessitate vos protegant. Videte, quòd ego  
sim solus, & non sit alius Deus præter me. Ego  
occidam, & ego vivere faciam, percutiam, &  
ego sanabo.*

Deut. 32.

Quantò ergo melius est in Deum con-  
fidere, in spirituales medicinas, in Sacra-  
menta? *Ego occidam, & ego vivere faciam.*  
Aliqui ex Heb. in passivo: *Ego occidam, &  
vivam, transigam, & sanabor.* Prophetice  
de Christo, quasi innuant, Christum per  
suam passionem, & mortem infirmitati-  
bus nostris medicinam condidisse. Quod  
tandem cognovit Hæmorrhøissa, dum  
plena fiducia inquit: *Si tetigero tantum  
fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* Ubi  
Chrysol. O quam docuit mulier, quan-  
tum sit Corpus Christi, quæ in Christi  
fimbriâ tantum esse monstravit! An-  
diant Christiani, qui quotidie Corpus  
Christi attingunt, quantam de ipso Cor-  
pore sumere possunt medicinam, quando  
mulier

D. Chrysol.  
ser. 34.



mulier totam rapuit de solâ Christi sim- A  
brâ sanitatem.

Apoç. 12.

O si de fructibus, ac de medicinalibus  
foliis, ad sanandas gentes, hujus arboris  
sæpè, & ad minus singulo quoque men-  
se, homines defumerent! O si hoc phar-  
maco immortalitatis (loquitur S. Igna-  
tius Martyr) uterentur! O si hunc vitæ  
Panem sæpius comederent! Quam sani,  
quàm fortes essent! *Panem Angelorum.*  
Hier. *Panem fortium*, ab effectu, quòd B  
fortes efficiat. *Panis cor hominis confirmat.*  
Hic, hic propriè: nam materialis ob re-  
actionem confirmat sententiam mortis,  
unde potiùs panis mortis, quàm panis vi-  
tæ dicendus est, &c. In Sacramentis er-  
go primum locanda fiducia.

Psal. 77.  
Hier.

Sap. 16.

Cùm Ægyptios locustarum, ac musca-  
rum occiderent morsus, nec inveniretur sani-  
tas animæ illorum, Filios Israël nec draconum  
venenatorum vincebant dentes, etenim neq,  
herba, neque malagma sanabat eos, sed tuus,  
Domine, sermo, qui sanat omnia. Tu es enim,  
Domine, qui vitæ, & mortis habes potesta-  
tem, & deducis ad portas mortis, & reducis.

Sap. 13.

Quàm igitur vani, qui ad Deos, quos  
adorant, in suis necessitatibus confugiunt!  
Infelices sunt, & inter mortuos spes illorum  
est, qui appellaverunt Deos opera manuum  
hominum, aurum, & argentum.

Exod. 32.  
Amos. 2.

Hi sunt Dii tui, Israël. O stultitiam! ò D  
quàm meritò deridet eos Deus per Pro-  
phetam! Deceperunt eos idola sua. Sui nu-  
mi, suum argentum, & aurum, in quibus  
confidebant, deceperunt eos suæ unctio-  
nes, quintæ essentia, secreta in scriniis il-  
lis reposita, & servata tantâ cum venera-  
tione, f. fellerunt eos.

2. Paral. 16.

Meministis Asæ, de quo dicitur, quòd  
Nec in infirmitate sua quaesivit Dominum,  
sed potiùs in Medicorum arte confusus est: po-  
sueruntq, eum super lectulum suum plenum  
aromatibus, & unguentis meretricis, quæ  
erant pigmenta virorum arte confecta, & com-  
buserunt super eum ambitione nimia. q. d.  
semper in vita pigmenta hæc coluisti, ha-  
beas ea & post mortem. Nunquid resina  
(medicinarum spiritualium) non est in Ga-  
laad, aut Medicus non est ibi? Quid opus  
ad ariolos confugere, Pythonistas con-  
sulere, ad Deum Accaron se convertere?

Jerem. 8.

E

ò quàm multis propterea dicitur: *De  
lectulo, super quem ascendisti, non conserges,  
sed morte morieris.*

Nemo melius, expeditiùsve ambu-  
lat in via Dei, quàm is, qui doloris clavo  
confixus est, quiq, in vinculis, aut in-  
firmitatis compedibus detinetur. Dixit  
id Iob: *Posuisti in nervo pedem meum, & Iob 13.  
observastis omnes semitas meas, & vestigia pe-  
dum meorum considerastis. Quid! In nervo  
detentus ambulas? Utique ambulo, &  
hoc ab Asa requirebat Deus, ut positus  
in nervo expeditiùs in semitis melioris  
vitæ ambularem: sed in Medicorum arte  
confusus est (& verè confixus) in creatu-  
ris perstitit, qui ad Creatorem ambulare  
debebat.*

Princeps ille Synagogæ, quantum se  
se ante Christum dejecit, ut filiam redi-  
viam haberet! *Cecidit*, inquit Lucas, *ad  
pedes ejus.* D. Marcus: *Procidit ad pedes  
ejus, & deprecabatur eum multum.* Sed ta-  
men ad Christum confugit, & in eo so-  
lùm confusus est: *Nunquid Medici suscita-  
bunt? terreni nequaquam, cælestis uti-  
que.*

Matth. 9.

Luc. 8.

Marc. 5.

Perfecta hæc facit trium illorum juve-  
num confidentia, qui ajebant: *Ecce Deus Dan. 3.  
noster, quem colimus, potest eripere nos de ca-  
mino ignis ardentis. & de manibus ruis, ò Rex,  
liberare. Quòd si nolueris, notum sit tibi, ò  
Rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam  
auream, quam erexisti, non adoramus. Hæc  
cujuscunque fidelis debet esse fiducia, &  
in infirmitatibus dispositio, ut dicat:  
Deus, in quem confido, potest me libera-  
re. Quòd si noluerit, statuam autem  
non adoro, in divitiis non confido, &c.*

*Qui confidit in divitiis suis, corruet.* Niti-  
tur ille suis divitiis, aitque: *Numos ha-  
beo: annonæ caritatem non timeo: in-  
firmitatem non pertimesco. Sed, quo-  
niam divitiæ, & thesauri à morte non li-  
berant, verè corruit, qui in divitiis con-  
fidit.*

Prov. 11.

Hinc Apostol. ad Timoth. *Divitiis  
hujus sæculi (nam sunt & alterius, sed his  
nihil opus (præcipe non sperare in incerto di-  
vitiarum, sed in Deo vivo, benè agere, facild  
irribuere, ut apprehendant veram vitam.  
Hæc enim præfens vera non est, sed um-  
bra*

1. Tim. 6.

bra



bra verè: unde non est necesse, pro eâ A  
tantopere laborare.

*Psal. 48.  
D. Chryf.  
Psal. 10.*

*Davidis fidu-  
cia non qualis  
passerum.*

Quam vani, *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur!* D. Chryf. ad illa verba: *In Domino confido, quomodo dicitis anime mea, transmigra in montem sicut passer?* ait, passerulo totam suam spem repositam esse in paucis illis plumis, quibus confidit semper à laqueo venantium se evasurum: sed dum minus credit, visco, vel reti capitur. Haec ego non habeo fiduciam, inquit David, non præsumo, nec confido in his divitiarum mearum plumis, sed in Domino confido. O quot in suis redditibus confidunt, & his ex omnibus mundi periculis liberari se posse confidunt! sed cum minus credunt, sese in rete coniectos vident.

*Isa. 39.*

Sic omni spe frustratur homo, quam in Deo non collocat, vanaque fiunt ei spes omnes. Sperat ille auxilium. In fortitudine Pharaonis, & habet fiduciam in umbra Ægypti. Humani favores, opes, & potentia, umbra dicuntur Ægypti: quia nimirum ut umbra fugiunt; sed protinus sit ei. Fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia umbra Ægypti in ignem iniam, quia relicta terra promissionis veteræ religionis, servitii Dei, in fine vitæ incipit illam sentire confusionem inanis, & irritæ suæ spei, quæ non est habitura firmam. Unde idem Propheta indicit ei vana damnationis æternæ: *Va, filii desertores.* Desertores vocat, quia una, Deo contempto, vanissima spe ad ivania confugerunt.

*Isa. 59.  
Idem 28.  
Prov. 10.  
Lansen. ibid.*

Hi sunt, qui confidunt in nihilo, vel ut alibi habet Isai. *Qui ponunt mendacium spem suam, & mendacio protegentur.* Sed qui nititur mendacius, hic pascit ventos. & duplici sensu: est nimirum ventorum pabulum, & pascit se ventis, hoc est, vanis spebus. D. August. legit: *Qui fidit in falso, hic pascit ventos.* O quam verè, ut ille habet in adagiis, Aulicus ille reti venatur ventos! ut huc, illucque à ventis impellitur! ut ore aperto, ut Bern. ait, ventos attrahit! ut vela dedit ventis, ventorum lusus! pascitur ventis, & pascit ventos, colit, ambit, &c.

*D. Bernard.*

Sequitur: *Idem autem ipse sequitur aves volantes.* Volantem nimirum quamlibet dignitatem sequitur: mox enim ut dignitas alicuius demortui in aëre levatur, eandem ambitiosus prosequitur. Hic pascit ventos, & pascitur ventis, & sequitur aves volantes.

Sic in Osea: *Ephraim pascit ventum, tota die mendacium multiplicat, oleum in Ægyptum ferobat.* Chald. *Et munera in Ægyptum deferunt,* hoc est, ad favores, & gratiam aucupandam munera transmittunt. *Et dixit Ephraim: Divus effectus sum, invenni idolum mihi.* Pascit, scilicet, ventum. Vertit se postea Propheta ad verum Israelitam: *Et tu ad Deum converteris, spera in Deo tuo semper.*

*Osea 12.  
Chald.*

*Iacta, iacta in Domino curam tuam,* inquit David. *Divinè Heb. Iacta in Dominum spem tuam.* Iacta scilicet rete spei, ad captandos ventos, aut aves volantes, sed ad rem capiendam, quæ non è manibus tibi laboratur, & quæ non evolet: *Iacta in Dominum spem tuam, & ipse te enumeriet, & non dabit in æternum fluctuationem iusto.* O fluctuationem mundanæ spei, non obfirmatè anchora verè, solidèque spei! Graphicè in Ezech. describitur, in typum mundanæ gloriæ, navis illa cum omnibus armamentis: sed in exactissimâ ejusdem descriptione mirum, quod anchoræ nulla sit mentio; deest quippè fugacissimæ mundanæ spei, ac gloriæ anchora, quæ sistat: fugit enim, nec ullo retinaculo remoratur.

*Psal. 54.*

*Ezech. 27.*

*Nolite considerare in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* hoc est, salvandi potestas. Parap. Campen. *Non habent potestatem beandi quempiam.* Quam inanis, quæso, illius promissio, qui juravit sanctum illum juvenem beatum se facturum! *Non est salus, non est salus, non habent potestatem beandi quempiam, nec se.*

*Psal. 45.*

*Camp.*

*Beatus, cujus (non homo, sed Deus Iacob) adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius, non in Principibus, non in divitiis hujus sæculi, qui fecit calum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt (& ideo potest ubiq; salvare, quia potestas ejus ubiq;) Camp. Felix, cujus sita est omnis spes in Deo suo, qui & fidem servat perpetuam, qui custodit veritatem (suarum promissionum) in sæculum.*

*Camp.*

Pucci



1. Reg. 30.

Pueri Amalecitarum infirmi miseranda vox. Reliquit me Dominus meus, quia egrotans cepi nudus feruus. O inanem miserorum aulicorum fiduciam!

Gen. 33.

Nisi Deus patris mei, in quo semper confisus sum, affuisset mihi, forsitan modo nudum me dimisisset. Jacob ad suum socerum Laban post tot labores ita loquebatur.

Esther 6.

In nunc, servi, cole, adora: ante cubiculum cum Aman, dum alii dormiunt, tu miser vigila: & quam vanæ erunt tuæ spes!

Num. 25.

O quam frustrantur spebus! O quot cum illis Principibus suspendi deberent contra Solem! Meminerint historiae. Per Moysen præcepit Deus: Suspende cunctos Principes contra Solem. Quid hoc? Principes isti, inquit Cajet. Solem adorabant. Sic spes vestras in Sole posuistis? Suspende Principes contra Solem. q. d. Oppone ergo morituris imaginem Dei, quem adorant: clament ad eum in morte, quem in vita coluerunt: videant infelices, an Sol miserus eorum, sistat cursum; an potius inexorabilis percutrens secum eos ad occasum perducat. O dolorem! toram in Sole spem locasse, & vocatam, exoratumque Solem, nec ad momentum stetit: sed surda aure, velocissimo cursu, ut affollet, evolasse! Radios illos fuisse miseris, opinor acutissimas cuspides ad eorum corda transverberanda. His dici poterat, quod his similibus deservit per Moysen, dictum est: *Vbi sunt Dii vestri? Surgant, & opitulentur vobis, &c. Ego autem in interitu vestro ridebo, &c.*

Deut. 32.

Prov. 1.

Nahum. 1.

D. Hier. ibid.

Per similem irrisionem meretur infelix ille Sennacherib, cui Dei nomine dictum est: *Sculptile, & constabile ponam sepulchrum tuum.* Ubi Hieronymus. Inde scilicet punieris, unde sperabas auxilium. Erit sculptile, & constabile sepulchrum tuum, ut inter aras, & pulvinaria adorantis idola sanguis nefarius effundatur. Pro cuius loci intelligentia notare, quæ dicam. Scabatur superstitiosus Rex ante sua idola: tunc propitius ejus filii supervenere, & eum intertionei dederunt. Hujus Regis cadaver diu ante idola illa inhumatum relictum est, quia nec à filiis, nec ab alio sepulturae per aliquot dies commendatum.

Sennacherib cur ante aram idola occisus.

Speranza Scriptura selecta.

**A** est. Et hoc sibi vult: *Sculptile, & constabile ponam sepulchrum tuum.* Irrisio nimirum vanissimæ spei insensatis illis idolis, ante quorum pedes sine ullâ spe insensatum item jacebat cadaver. quasi dicat. Sic jacere ante hæc tua idola erit sepulchrum tuum: Surgant, surgant modò, & opitulentur tibi.

**B** O quot miserè cadunt ante suorum insensatorum idolorum pedes, sine ullo, quod recipere possint, auxilio! Adorat ille suas divitias, totamque fiduciam in illis collocat: infirmatur, educit foras suos numos aureos, nec ullum sentit auxilium: jacet ante aurum, & intra aurum, & argentum, amata idola, deficit, & moritur: *Es erit sculptile sepulchrum tuum.*

**C** *Amantissima eorum non proderunt eis. Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini.* Si putavi aurum robur meum, & obricio dixi: Fiducia mea. Alii: Et conclusio dixi: Fiducia mea. hoc est, nihil in scripturis conclusum habeo, in quo confidam.

Isa. 59.

Ezech. 7.

Iob. 31.

Alii.

*Speravit in multitudine divitiarum suarum. O vanitatem! Zach. 11. Benedictus Dominus, divites facti sumus.*

Psal. 31.

Zach. 11.

**D** *Sculptile, & constabile, ponam sepulchrum tuum.* Sic confidit ille in Principe, eundem adorat, &c. Domi ejusdem moritur, nec auxilium vel minimum habet. *Sculptile ponam sepulchrum tuum.* O quam verum illud Psalmistæ consilii occultorum Dei:

*Bonum, bonum est sperare in Domino, quam sperare in Principibus! Sperare in eo, in quem quis sperat, non infirmatur. Effundite coram illo corda vestra; hoc est, omni aliâ fiduciâ corda evacuare. Hoc sibi vult, effundite, fiduciam scilicet cujusque Principum, divitiarum, & idolorum, & in solum Deum confidite.*

Psal. 117.

Psal. 61.

**E** Hoc illâ aquæ effusione in 1. Reg. sibi filii Israel voluerunt: *Et effuderunt aquam coram Domino, &c. difficilis locus, sed hoc sibi vult: Abjurarunt quasi & illâ effusione, & evacuatione valorum, in quibus ne gutta quidem remansit, evacuationem cujusque alterius fiduciæ testati sunt, quasi dicerent: En Domine, corda*

1. Reg. 6.

Aqua coram Deo effusa quid sibi vult.

**R.** effus.



effundimus, & totam fiduciam, quam delusi in idolis posuimus, funditus evacuamus, & in te solum verum Deum confidimus.

Sic, sic penitus effundamus corda nostra, ne ulla alterius rei remaneat fiducia. Difficile est reperire hominem, qui funditus cor effundat. Quisnam est, qui aliquid repositum non habeat pro indigentibus? Quis sua antidota non conservat? Quis aliquem Principem non colit, ad quem possit confugere? Humanæ spes. Effundite coram illo corda vestra, Deus adiutor in æternum, quasi dicat. Hæ res aliquid parvi auxilii, brevique tempore conferunt, sed Deus adiutor noster in æternum. Hic non deficit, hic non moritur, ut moriuntur Principes, sed adiutor in æternum.

D. Aug. in  
Confess.  
Psal. 61.  
Hebr.

Nemo te, Domine, amittit, inquit Augustin. (nec per mortem, nec per volubilitatem) nisi qui te demittit. Vani filij hominum, mendaces filij hominum. Hebr. Filij virorum, id est, clarissimi, & potentissimi, Principes nimirum, in stateris, ut decipiant ipsi (ô quam sæpè!) de vanitate in idipsum. Hebr. ad verbum: In stateras, ut ascendant, ipsi (sunt) prævaniitate pariter, id est, vanitate sunt ad unum cuncti leviores. DEVS auxilij mei, dixerat suprâ, Hebr. DEVS, petra mea, salus, munitio, seu arx mea. Et spes mea in DEO est (non in Principibus).

A Nolite sperare in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Exibit spiritus eius, & revertetur in terram suam. Ego Ecclesiastes sui Rex Israël in Ierusalem. Sunt adeo flexibilia mundana omnia, ut dicat in præterito. quod erat in presenti. Rex erat, cum loquebatur: sed quoniam iam iam non erat futurus, dicit, quod erit: Ego Ecclesiastes sui. O spes inanes! Spes in Deum non confundit, in Principes, ô

B quam sæpè!  
A plerisque observatum est, quod strenui Machabæi tunc confundi cœperunt, cum fiduciam in Deum minuerunt, & cum Gentibus fœdera inierunt: ab eo enim tempore, semper in deterius abierunt: nam qui cum paucissimis decertabant, & vincebant, post innixam gentibus fiduciam semper victi, & profligati sunt.

C Vana ergo, & fallax est hominum fiducia. Mendaces filij hominum, omnis homo mendax. Alii: Omnis homo mendacium.

Sperent, sperent in nomine Domini, & innitantur super DEVM suum: non super Principes, Ægyptus frustra, & vana auxiliabitur: superbia tantum est, quiesce.

Hebr. Bulla tantum est, quiesce.  
O quam verè, homo bulla!